

*Abb. II.*



10.

EPISTOLA  
AD  
ILL. SOCIETATEM  
ANGLICANAM PROPAGANDÆ  
COGNITIONI CHRISTI  
DEDITAM

---

QUA  
CONTINENTUR  
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ  
RECENTISSIMÆ PARTICULÆ SPE-  
CTANTES POTISSIMUM AD EC-  
CLESIAM ORIENTALEM

---

BEATI CUIUSDAM VIRI HORTATU ET  
NOMINE SCRIPSIT

IO. HENR. CALLENBERG

PHIL. PROF. PUBL.

---

Halæ in typographia instituti iudaici  
C13 13CC XXXV.

\*  
\*  
\*  
\*

I  
iffi  
m  
Fa  
de  
ga  
tia  
na  
lar  
in  
ci

ERSTOJA  
AD  
ILL. SOCIETATEM

ANGELICAM IEROSOLIMAM  
COGNITIONE CHRISTI

RECEPITUR IN SOCIETATEM  
STABULI IEROSOLIMANI  
CANTORUM QUARTI

IOHANNES CALYKES  
SACR. SACR. SACR.

IN HOC LIBRO  
DE  
SOCIETATE  
IEROSOLIMANA  
CANTORUM  
QUARTI  
ET  
DE  
SOCIETATE  
IEROSOLIMANA  
CANTORUM  
QUARTI





CAP. I.

*De danorum ad indos legatione  
euangelica.*

**I**ntellexi ex litteris tuis, quas sub æstatem  
anni superioris accepi, non ingratam fu-  
isse tibi, & illustri societati vestræ epistolam  
meam; quod etiam publicatio eius declarat.  
Fateor, id honoris eam non meruisse: gau-  
deo tamen vestra lætitia, & intentione vul-  
gandi, quæ narrat illa diuinæ providen-  
tiæ documenta, & incrementa rei christia-  
næ. Opto, ut idem gaudium, eandemque  
laudem diuinæ benignitatis, quam in vobis,  
in cæteris quoque inspecta hæc narratio ex-  
citauerit, animosque impulerit ad iuandam,  
A . . . . . viri-

---

*Intellexi*: Inscripta est epistola viro  
clarissimo, multisque in ecclesiam me-  
ritis insigni, *Henrico Neumanno*, illu-  
stris societatis, de propaganda Christi  
cognitione sollicitæ, secretario. Conscri-  
psi illam anno MDCCXXII. hortatu  
& nomine beati theologi, *A. H. Franckii*.



viribus coniunctis, operis dominici tractationem. Quam mihi tribuis diuinæ providentiæ experientiam, licet me ea profus indignum censeam, ingratus forem, nisi agnoscerem. Sed gratias ago Deo, qui me hoc usu beneficiorum suorum dignatus est, eundemque rogo, ut plures, quos hæc eius rerum humanarum cura fugit, tam salutarem, tamque lætificam consequantur scientiam, desinantque dubitare, num in his rebus, quæ in terra geruntur, aliquod numen intercedat. Eadem providentiâ tam luculenter secundet laudatissima ill. societatis vestræ consilia, inceptaque, ut eam quasi manibus contrectare possimus! Recte vero mones, tam minus ex sententia res nostras, quamvis probentur Deo, interdum succedere, ut ille eas pene negligere videatur. Ita sane optima instituta, retardato aduersis casibus eorum successu, non damnata solum a profanis fuerunt, sed interciderunt sæpe; iis, qui ea susceperant, vel sustinuerant, impatientia diuinæ retributionis, solenni humani ingenii vitio, desperantibus, ac abiicientibus recte destinata. Quemadmodum vero hæc exploratio intolerabilis est imperitis dominicarum viarum: ita atrociter peccaturi forent harum peritiores, si quadam fortunæ offensione se deterreri a recto consilio paterentur. Brevis plerumque nubecula esse solet, quæ solis lumen tantisper nobis intercipit, ut, abeuntibus tenebris,

eo



eo studiosius illo utamur. Hoc, te duce, ad institutam a rege dania euangelicam legationem indicam transferre velim omnes, quotquot eam hucusque consilio & praefidiis necessariis adiuuerunt, dolentque iam, impedito parumper eius cursu, abductisque alieno tempore, ut nobis quidem viderur, ex studio illius fidelissimis administris. Utinam in hoc sequantur omnes praecelaram archiepiscopi vestri exemplum; qui fidos illos euangelii praecones, pro suo erga eos, causamque dominicam, quam gerebant, amore & gratia singulari, non modo decessisse indolet, sed, sub ipsa tristis casus denunciatione & dolore, de prosecutione operis, quod illi inchoarunt, se cogitare, indicium prodidit manifestis. Idem amanter ac solícite fecisse reliqua ill. societatis membra, tua epistola declarat. Non vulgarem hoc mihi attulit consolationem; si commemorare licet, quo animo haec acceperim: videris autem id quasi ex instituto tuis litteris efficere voluisse. Adeo conquiris argumenta, quibus leues aegritudinem meam, prohibeasque spei & fiducia imminutionem. Iubes recordari pristinas difficultates, per quas, licet insuperabiles de multorum sententia, eluctati sumus, Deo expugnante surgentia aduersus cognitionem Christi *ochyromata*. Narras: hortatos vos ill. societatem danicam ad alacrem inceptorum continuationem: paratos vos esse porro suppetias fer-

re ad indos proficiscentibus, & illic operantibus in vinea dominica. At hoc singulare quiddam est, quod memoras: reuerendissimum archiepiscopum: cui eo nomine sub initium huius anni per litteras submisisse gratias egi: simulatque ex vita excessisse par illud ministrorum euangelii audiuerit, statim ad me scribere iussisse, & significare, quantopere desideret, ut similes illis ex cœtu nostro eligantur successores; ill. societatem electis contentam fore, iisque patrocinatoros. Erubui, cum hæc inusitatam erga me fiduciam præ se ferentia verba in epistola tua legi. Laudatus sit Deus, qui dedit hucusque sub simplici & ex diuini verbi præscriptione conformata disciplina nostra præparatos homines, quos constat expectationi vestræ respondisse! Idem alios dabit, qui illis surrogentur, obsecrantibus nobis, iussu Christi, dominum, ut operarios in messem protrudat. Quod pro facultate nostra facere poterimus, libenter conabimur. Scripsi statim de hac re ad illustrem societatem danicam, & de inueniendis, qui ad indos ablegentur, cum illa communicauit consilia: id quod in causa fuit, cur ad litteras tuas non extemplo responderim. Circa finem præteriti anni, quid ceperint consilii, tandem rescripserunt: nempe, se decreuisse, hanc rem in sequentem annum differre; quod cum illis hominibus, quos monitus commendauerim, ne



negotium nondum transigi potuerit. Hoc rerum statu eos, qui in india versantur, per litteras hortatus sum: quod ill. societas danica etiam prudenter admodum & benevole fecit: ut nautarum ritu, quando, aduersante tempestate, prouehi ex voto non possint, patienter secundiores expectent ventos, & interea parta pro viribus tueantur. Hæc vobis renunciare volui, ut intelligatis, quousque res deducta sit; quam ut, pro more vestro, cordi habeatis, enixissime rogo, atque obtestor.

## CAP. II.

*De cura circa ecclesiam orientalem,  
speciatim Aethiopum.*

CÆterum, quod scribis de consilio recu-  
dendi nouum testamentum arabicum,  
mihî haud vulgaris lætitiæ materia fuit. Non  
dubito, quin hoc pacto multum lucis in te-  
nebricosum orientem fitis illaturi. Exempla  
libelli, in quo instituti ratio describitur, mihi  
viris prudentibus, quos huic veritatis propa-  
gationi fauere existimaui; rogans eos, ut, si  
quid haberent, quod vellent hac de re ad  
vos scribi, id mihi significarent. Fecit id  
el. Lacroze, berolinensis bibliothecæ præfe-  
ctus, cuius verba hic adscribam: *pergratum  
mihî fuit munus, a te missum; speroque, uti-  
tem fore orientalibus christianis nouam, quam*

A 3

angli

*Verba, in epistola ad me directâ.*

angli moliantur, sacrorum librorum noui fœderis editionem. Quod iubes, ut, quid mihi de tota ea re consilii sit, significem, vix certe perficere possum, cum videam, omnibus fere rebus ab anglis prouisum esse. Etenim nihil sapientius est, quam id, quod cogitarint de tollenda omni præfatione; modo etiam, quod optimum futurum puto, nulla addatur mentio neque editorum, neque loci, in quo editio curabitur: neque negligendi mihi videntur tituli lectionum annuarum, qui in codicibus manuscriptis occurrunt. Certe eos non neglexit Widmanstadius in editione syriaca noui testamenti. Hæc ille de nouo testamento arabico scribebat, addens quædam de habessinibus: que ab hoc loco, ubi de orientalis ecclesie emendatione sermo est, non aliena, nec tibi lectu iniucunda fore existimo. En sententiam viri, harum rerum peritissimi: de Aethiopum rebus, scribit, nihil habeo compertum, nisi ea, qua nuper edita sunt in secundo volumine recentis itinerarii Pauli Lucae. Nihil prorsus dubito, quin, si qui adolescentes europæi, medicine periti & nonnullarum aliarum artium, quas habessini nesciunt, sese eo conferrent, nihil periculi metuendum haberent. Nam missionarii pontificii perpetua papa sui prædicatione ipsis in memoriam statim reuocant veterem hisitanorum & loialitarum crudelitatem; de qua ulciscenda nihil mirum est eos cogitare. Ceterum si modeste inter eos ageretur, nec con-

trouerfiarum alia mentio fieret, quam ea, quæ  
 pertinet ad animos, ob voces perperam intello-  
 ctas in concordiam reuocandos, haud obtusa  
 adeo gerunt pectora habessini, aut valde fallor,  
 ut pacem quærentibus & offerentibus viris,  
 genti suæ alias utilibus, eam denegarent. Quod  
 utinam aliquando fiat, ut de rebus illius gen-  
 tis certiora doceamur: multa enim mentios  
 esse loiolitas lusitanos, ipsa Ponceti, medici  
 galli, relatio manifesto ostendit.

## CAP. III.

De pietatis in germania progressu, maxi-  
 me apud ienenses.

**H**Astenus de Crozio, cuius desiderium, uti-  
 nam essent, qui implerent! Reuertor  
 nunc, te volente, ad continuationem inchoa-  
 tæ in superiori epistola narrationis. Ad Ger-  
 maniam nostram quod attinet, plures in ea  
 quotannis suscitantur, qui euangelicæ doctri-  
 næ efficacitatem ab eius impedimento, inue-  
 teratis corruptelis, vindicare laborant.

Ordiam a vicinia. Veni hoc anno in  
 certo itinere Ienam, & ab academiæ profes-  
 soribus ac studiosis humane exceptus & sæpe  
 frequentatus sum. Horum rogatu in æde  
 academica pro concione dixi, & in auditorio  
 celebris theologi, Buddei, multis audien-  
 tibus, eorundem hortatu, *par. enesin* pronun-  
 ciani.

Utroque sermone, qua ratione ad  
 usum

3 *Cap. III. De pietatis in germania progressu,*

usum ecclesiæ vita academica instituenda fit, demonstraui. Interfuerunt tam concioni, quam parænesi professores, & consensum, qui inter se & nostram academiam intercedat, publice testatum fecerunt. Nec illiam desunt, qui sollicitius prælectiones academicas auditorum dirigant necessitate, & salute cum horum, tum populi, qui illorum curæ olim concrederetur. Datur opera, ut, quod eos discere ex tanto scientiarum apparatu maxime necessarium, & regno Christi amplificando accommodatum fit, fideliter ipsis tradatur, citra reconditoris litteraturæ ostentationem & reliquam vanitatem, qua academici doctores haud raro oleum operamque, quod dicitur, alieno loco perdunt, magnoque conatu agunt nugas. Cœperunt etiam iuuenes sub auspicio magistrorum quorundam instituere collegia biblica, in quibus certos sacra scripturæ libros inuicem interpretantur. Non tam declamationi, quam amico colloquio similis hæc exercitatio est; qua religiose de rebus diuinis fandi acquirunt habitum: quamuis boni iuuenes non id, sed hoc præcipue spectent, ut se ipsi de via salutis erudiant, & incitent ad eam ingrediendam. Parum quidem momenti hæc res habere videtur, si eam in se intuemur: at si ex altera parte collocamus vulgatissimam olim ienensium studiosorum improbitatem; admirabilius nobis hoc, quod plures nunc inuadit, diuini

ni verbi piæque exercitationis studium apparebit. Accedit præclara contemtibilis instituti utilitas. Qui hac ratione in academia nostra, ubi conterranei inprimis religiosa huiusmodi exercitia frequentare solent, inter cætera studia se aliquandiu exercuerunt, eos magna cum facilitate bonoque cum fructu, non e suggestu solum, sed in omni familiari consuetudine fermocinari intelligimus; cæteris, qui artificiose tantum declamare didicerunt, plerumque torpentibus in conuersatione, aut cum vulgo nugantibus. In eadem academia, nempe ienensi, plures Lutheri scriptiones, easque electiores, recudicurant. Questus fuerat illustris Seckendorffius, primus academix nostræ cancellarius, in libro, de statu christianismi inscripto, quod scripta huius viri, ex quo tempore in magnæ molis volumina collecta sint, ex oculis, & ab usu hominum recesserint, bibliothecarum tenebris sepulta. Optare se, ut ea, sicut olim, ita denuo separatim videntur. Repente iis olim expugnatos errores pontificios, & sperandum, eosdem, cum illi rursus ingruant, eodem remedio, vulgatori scilicet Lutheri scriptorum usu, depulsum iri, foreque clarum, in quo genuina doctrina euangelica consistat. Ab illo tempore multi passim exequi hoc viri cordati consilium adgressi, in lucem, & usum libellos Lutheri reuocarunt breuiores, lectio-

resque, præteritis, quæ illi, quam nostro ævo conuenientiora iudicabant. Nec obscurus est fructus, quem denuo germanis nostris, oblitis pene indolis lutheranæ, ista lutheranorum scriptorum promulgatio attulit. Cognouerunt ex his non pauci, quid illud sit, quod fidem appellet, totiesque commendet vir euangelicus. Erubuerunt, qui otiosam fidei opinionem hucusque habuerant pro fide, & ab ea vitam seiunxerant actuosam. Qui pro sanctitate euangelica virtutem quandam gentilem, vel mosaicam introduxerant, vel introductam coluerant, bona quidem intentione, sed sub continuo angore & tremore, in quem tentatus sine Christo eiusque spiritu euangelico Dei cultus homines conicit, hærentes in mero legis studio; intellexerunt, quænam genuina sit pietas, unde eam exercendi vires petendæ sint, & quam efficiens spontaneæ & lætæ sanctitatis sit legitima doctrinæ de imputata nobis Christi iustitia, & ex ea secutis bonis, usurpatio; qualem Lutherus, cum alibi, tum maxime in epistolæ ad Galatas explicatione, anglice etiam MDLXXX. edita, qualemque Thomæ Goodwini vestri scripta, germanice apud nos excusa, luculente tradunt. Sic sensim repullulat pristina euangelii disciplina, reuiuifcente in pluribus Lutheri studio & imitatione. Quemadmodum vero scriptis Lutheri & aliorum, qui eius vestigiis institerunt, cultior paulatim, peritior ac studiosior

diosior veri, rectique euasit Germania: ita eandem culturam præclare adiuuerunt alia instituta studentium rei christianæ emendationi virorum. Capitulatim ex iis nonnulla in superiori epistola recensui, & in his varia orphanorophea, quæ in desertæ iuuentutis utilitatem, nostra ætate, multis in regionibus, oppidis & vicis exstrui cœperunt. Non defuisse hanc pauperum curam, sed intra hoc biennium, & quod excurrit, non contemnenda cepisse incrementa, publicis declaratum fuit documentis; quæ omnia memorare non est huius loci. In exemplum unum alterumque huius rei indicium adferam. Hengersdorffia, vico quodam Lusatia, nobilis virgo, cui Gersdorffia nomen est, suis sumtibus orphanotropeum proxime condidit. Filia hæc est clarissimæ Frisia, quæ inter eruditos doctrinæ fama nomen inuenit, posteaque illustri Gersdorffio, grauissimo in aula *electorali* saxonica consilii intimi directori, nupsit, singularis beati Speneri, dum hic viueret, faulrix. Simile institutum in vicinia Quedlinburgi, inter magnas difficultates, inchoauit verbi diuini minister, adductus miseratione plebis periculæ, prima cœlestis veritatis rudimenta, exempli gratia, Deum esse, Christum redemisse genus humanum, &c. ignorantis: cuius soboli, introducta schola, & procurata egenorum sustentatione, consulere decreuit. Idem apud zulichouienfes, in Silesiæ finibus,

ten-

tentavit vir plebeius, mediocris fortunæ institor, & prosperante inceptum Deo, regeque Boruffiæ priuilegia & certam lignorum copiam clementissime concedente, breui suo impendio ædem pro recipiendis pupillis ædificauit, pupillorum cœtum in eam recepit, hisque, præter alimenta, piæ vitæ dedit magistrōs, a nostris scholis accersitos. Cæterum, nisi a nutricatione nomen sumere velis, scholarum potius, quam orphanotropheorum appellatio institutis illis conueniret: adeo diligenter pueri, puellæque ibi pie religioseque viuendi præceptis imbuuntur. Memorabilis etiam in hoc genere est illustris viri, halberstadiensis collegii cuiusdam canonicorum euangelici decani, munificentia. Dolebat, scholas, a pio quodam sacrorum antistite recens conditas, intercidere, postquam hic e vita excessisset. Hanc pietatis officinam magna ex parte instaurare adgressus est, nullis sumtibus, qui requiruntur, parcens. In hanc etiam ex nostro cœtu magistri amandati sunt.

## CAP. IV.

*De religiosis Liuonia institutis.*

**N**ec possum hic silentio præterire pietatis & litterarum domicilium, quod in Liuonia loco quodam, cui Alpx nomen est, constitutum fuit ab illustri czareæ maiestatis ministro. Intra paucos menses, acceptis MDCCXIX.

ex



ex nostro orphanotrotheo praeceptoribus, inductaque nostra docendi ratione, inclaruit nouella schola, & inter alios non pauci eo se contulerunt adolescentes nobiles, equestris ordinis liouonici progenies. Magnos etiam inter gentem rufficam nacta est approbatores, qui suos quoque ad hoc meliorum litterarum sacrarium ablegarunt. Ideo episcopus plescouiensis, mandato czaræ maiestatis, scholam hanc inspexit, eamque, exploratis eius rationibus, vehementer laudauit, ut patet ex plena summæ humanitatis epistola, quam, Petropolim reuersus, ad eius magistros scripsit. Hanc, utpote memorabilem, hic subiungam:

*Viri admodum reuerendi,  
fratres carissimi,*

*Rerum expetendarum, praesertim publici boni gratia, nota est omnibus, non plane stupidis, indoles, ut initiis etiam, rudimentisque suis hominem, earum studiosum, recreent, mireque afficiant. Ita nos quoque exhilarauit quam maxime vel ipsum egregium perillustris domini, Baronis Nieroti, consilium atque molimen, quod nobis anno superiore indicauit, de instituendo in praediis suis erudito orphanotrotheo. Magis gauisi sumus, quando iam rem inceptam nostrismet oculis vidimus. Sed vidimus tamen primas, quod aiunt, ductas lineas. Cum vero audiuimus, & fama per-*

*cre-*

crebuit, orphanotropheum illud indies perfici,  
 & confluentibus hinc inde ephelis auferi,  
 implerique, inuitatos etiam professores expe-  
 ctari propediem, ac tandem eos venisse, in-  
 credibile dictu est, quantum exultauerimus.  
 Tametsi enim museum illud liuonica inuentuti  
 formandae praecipue consecratum est: quia ta-  
 men Liuonia per Dei prouidentiam russiaco iam  
 inserta est imperio; facile iam intelligimus,  
 nostra quoque, quod bene vertat, nationi me-  
 liorem diem illucescere. Est enim, mihi cre-  
 dite, Russia optimorum virorum feracissima;  
 sed illa tamen, veluti pretiosa metalla, haec-  
 nus sepulta iacuerunt: diu desuit, qui ea eru-  
 eret, coqueret, & poliret. Id quod iam  
 fieri ceptum est sapientia, cura, ac indefessis  
 conatibus augustissimi monocratoris nostri, Pe-  
 tri. Cum autem alpense domicilium, quasi mu-  
 sarum aluesare, excitari cernimus; enimuero  
 agnoscimus, Deum optimum maximum votis  
 augustae maiestatis, votis bonorum omnium be-  
 nigne annuere. Restat, ut submisse precemur:  
 corrobora Deus hoc, quod operatus es in  
 nobis. Haec vero talia cum nosmet ipsi inui-  
 cem unus alteri dicere, gratularique debea-  
 mus, tum inprimis vobis, fratres carissimi,  
 scribere consultum habuimus, uti, quanta ex  
 opera hac vestra percipiamus gaudia, quantar-  
 que spes concipiamus, mature vobis significa-  
 mus. Pergite, viri optimi, ut cepistis, piis-  
 simum domini baronis inceptum iuuare, bo-  
 num

num Russia promouere, spes nostras confirmare; certi, vestras vos operas quam optime locaturos, & vel hoc unum intuentes premium, quod, cum seminarii istius fructus, quantos expectamus, sese ostenderit, vos eorum semina primi iecisse dicemini. Valet.

Addictissimus vobis frater, humilis Theophanes, episcopus pleiscouiensis.

Petropoli, MDCCXX. quarto idus Mart.

Adiecit: quo maior sit laboribus ipsorum & seges, & messis, se aliquid ex sua etiam parte, nempe tres studiosos, mittere. Hos se commendare, ut præceptis rhetoricis, historia, eiusque luminibus, chronologia & geographia, imbuantur, erudianturque in linguis, latina, græca, hebraica atque germanica; geometriæ quoque, arithmetices & musices rudimenta percipiant. Se obsecrare ipsos per Christum, ut eorum ingenia expendant, & sua unicuique propinent. Se enim illos pro filiis habere, & ea quoque, quibus ipse destitutus sit, illi ut affatim possideant, se optare citra inuidiam, quinimo non aliter, ac sibimet ipsi, expetere. Supra omnia se rogare, ut seriotimere, & diligere Deum, lapsus ac restitutionis nostræ æconomiam meditari, rerum humanarum vanitatem contemplari, seque ipsos per hæc studia non tam proprio, quam publico bono, consecratos esse, perpetuo cogitare doceantur, & seuera cœ-

cean-

ceantur disciplina. Miraberis mecum viri  
huius sensum, quem in his litteris declaravit.

## CAP. V.

*De oriente in Russia clariore  
veritatis luce.*

**P**Lura huius generis oborituræ numerosis  
his gentibus clarioris lucis indicia enar-  
rare possem, nisi epistolæ modum supergres-  
sura esset oratio, si ea omnia, quæ huc spe-  
ctant, complecti vellem. Non possum tamen  
mihi temperare, quo minus quædam eius  
rei documenta adhuc proferam. - - Russorum  
Imperator, - - vulgato sanctioris *synodi*, quod  
perpetui senatus ecclesiastici nomen est, de-  
creto, ciues omnes adhortatus est ad frequen-  
tem sacre scripturæ lectionem. Cui manda-  
to tam cupide obsequi dicunt populum, ut,  
qui totum volumen præ paupertate emere  
nequeant, certos libros, exempli gratia psal-  
mos, ex eo describant, eosque sibi reddant  
familiares. Supra memoratus episcopus  
præterito anno *catechismum*, russice scriptum,  
edidit in lucem; cuius præmium, & parti-  
culas quasdam, latine redditas, hic specimi-  
nis loco apponam.

” Præmium, quo compellantur  
” omnes pii parentes, tutores, inspecto-  
” res, heri, & quotquot parentum no-  
” mine insigniuntur, suæque curæ paruulos  
” con-

concreditos habent. Sanctus & felix totius"  
vitæ humanæ actus, amatores Christi, pen-"  
det ab educatione liberorum. Ut quis, dum"  
puer est, educatur, talis erit, vir factus."  
Si quis in honestis scientiis, & in timore"  
Dei, qui sapientiæ principium est, a pue-"  
ritia instituitur, spes concipi potest, illum"  
in perfecta ætate se quoque recte gesturum."  
Quodsi vero pueritia alicuius sine metu nu-"  
minis, & legitima institutione transacta fue-"  
rit; non valde sperandum est, reliquam vi-"  
tam eius meliorem fore. Raro talis muta-"  
tur; quod multiplex experientia, & exem-"  
pla, non solum certorum hominum, sed ma-"  
gnarum gentium & nationum, confirmant."  
Si in gente quadam recta vita spectatur, cer-"  
tum est, bene in ea liberos educari. In"  
qua gente vero multæ rixæ, invidia, frau-"  
des, furta, homicidia, & huiusmodi mali"  
mores reperiuntur, non dubitandum est,"  
quin absit ab illa bona liberorum educatio."  
Ab ætate puerili, tanquam ex radice, aut"  
bonum, aut malum in totam hominis vitam"  
deriuatur. Causa hæc est. Quia ex pecca-"  
to & corruptela primorum parentum a pri-"  
mordio vitæ in malum propensi sumus: nam"  
quidquid fingit & destinat animus humanus"  
a prima pueritia, malum esse, sacra scriptura"  
iudicat: nisi homo in prima ætate rectam"  
consequatur educationem; fieri vix potest,"  
ut non malus fiat, cum malus natus sit."

B

At"

"At innatum malum valde crescit quotidiana  
 "consuetudine, & per singulas horas inuale-  
 "scit, & roboratur. Quid dicamus, si ac-  
 "cedat familiaris cum aliis prauis hominibus  
 "conuersatio; ubi proprium malum exemplo  
 "aliorum confirmatur, & miser puellus, qui  
 "adhuc peccatum ignorabat, illud ex malo  
 "sodali discit? Verum enim est, quod dicit  
 "apostolus 1. Cor. XV: malum consortium  
 "bonos corrumpere mores: irem, quod Sira-  
 "cides cap. XIII. obseruat: illum, qui ap-  
 "prehendat picem, maculari ea; & qui com-  
 "mercium cum elato & superbo homine ha-  
 "beat, similem illi euadere. Quid igitur  
 "boni speremus, ubi bona puerorum educa-  
 "tio deest? Quis autem non videt, legitima  
 "puerorum institutione Russiam maxime ca-  
 "rere. Nam multi inter nos, qui pro reli-  
 "giosis & Deum timentibus hominibus ha-  
 "bentur, dum vim, sensum & summam  
 "præceptorum Dei nesciunt, ignorant etiam  
 "multa peccata, quæ tamen admittunt, ma-  
 "nentque in securitate. Exempli gratia, no-  
 "verunt illud mandatum Dei: honora patrem  
 "& matrem. Sed quotusquisque cognitum ha-  
 "bet sensum huius præcepti, nouitque, quis  
 "patris nomine intelligatur, & quid præcipi-  
 "atur verbo honoris? Item non fugit eos  
 "hoc mandatum: ne fureris. Sed quibusnam  
 "perspectum est, quid illud contineat? Quis  
 "peccatum existimat, in mercatura decipere,  
 "in-

inuentum occultare, nec reddere, furto ablatum emere, in iudicio munera accipere, & alia eius generis? Et nihilominus tamen hæc omnia furta sunt. Idem conuenit in reliqua præcepta. Qui possint igitur tales educare liberos? Quid dicamus de multis aliis, qui in tantis tenebris, tantaque stupiditate hærent, ut ne fama quidem acceperint, esse præcepta Dei, totum Dei cultum ponunt in externis cerimoniis, & exercitiis corporis, & ne solliciti quidem sunt de vera, recteque fundata pietate, quæ in eo consistit, ut credamus Deo, Seruatori, & cum timore, ac amore eius præcepta seruemus. Sanctus apostolus, Paulus, 1. Tim. IV. hoc grauius reprehendit, docens: parum utilem esse corporis exercitationem, sed pietatem ad omnia conducere, habereque promissiones, tam ad hanc, quam futuram vitam pertinentes. Sunt etiam nonnulli, qui putant: optimam liberorum educationem esse, si quis curet, ut illi legere & scribere discant. Sed hoc falsissimum commentum est. Nam quid iuuat, posse aliquem libros legere, dum legens lecta non intelligit, aut ne studet quidem, cupitque ea pernoscere, aut ne legit quidem, quod ipsi ad emendationem professe possit? Nonne multi sunt, qui libros quidem lætitant, mandata autem Dei, confessionem fidei, & vim precum penitus ignorant? In quonam hi propter librorum lectio-

B 2 nem

„nem aliis meliores sunt? immo multo dete-  
 „riores, peioresque sunt. Nam cum vacui  
 „a timore Dei sint, bonæ expertes educatio-  
 „nis, quanquam legere & scribere didice-  
 „runt; inani hac & mortua scientia, tan-  
 „quam instrumento malitiæ, utuntur: scripti-  
 „tant calumnias, rabularum artem exercent,  
 „condunt morum offensiones, criminatio-  
 „nes, libellos famosos, falsa testamenta, &  
 „adulterant magistratum decreta. Alii opi-  
 „nantur, quia legere possint, se esse sapi-  
 „entissimos; hinc varias religionis corrupte-  
 „las comminiscuntur, easque pro diuinis do-  
 „ctrinis venditantes vulgi excitant diuortia.  
 „Et quis omnia prauitatis, & malorum ge-  
 „nera, quæ innumera sunt, & calamo talis  
 „scripturæ peritorum hominum procreantur,  
 „& exercentur, enarrare possit? In quonam  
 „vero bona educatio liberorum consistit? Inter-  
 „rogat de hoc & simul respondet rex David  
 „Pl. CXIX. Quomodo adolescens, inquit,  
 „in via sua inculpatus incedet? Si agit, Do-  
 „mine, secundum verba tua. Ita oportet  
 „nos in sacra scriptura, quæ verba Dei con-  
 „tinet, scrutari, quænam sit voluntas Dei,  
 „quid agere, quidue fugere iubeat? Hæc  
 „liberis dicere, eorumque memoriæ impri-  
 „mere debemus, si bonam illis educationem  
 „impertire velimus. Hoc officium vobis in-  
 „primis incumbit, ad quos hæc oratio no-  
 „stra dirigitur. Vos, pii parentes, tutores,  
 „in-



inspectores, heri, & quotquot patris no-  
men a liberis & subiectis fortiti estis, ac-  
cipite mandatum Dei, quod datum est vo-  
bis, Deut. VI: verba, quæ tibi hodie  
præcipio, animo comprehendas, & incul-  
ces liberis tuis, & de illis loquaris, sedens in  
domo tua, aut ambulans in via, quando cu-  
bitum is, surgisque. Itaque, cum multi-  
inter nos sint, qui patris munus sustinent,  
ipsi vero parum nouerint, quid Deus præce-  
perit; publica necessitas postulauit, ut libel-  
lus componatur, in eoque præcepta Dei  
explicentur. &c. "

De primo præcepto.

Quæstio.

Quæso, explica mihi, quid Deus hoc man-  
dato præceperit?

Responsio.

Præcipit Deus, scire & confiteri nos debere,  
ipsum solum esse Deum, non creatum, æter-  
num, ubique præsentem, sapientissimum,  
omnipotentem, iustum, bonum & miseri-  
cordem; & oportere nos in ipso solo fidu-  
ciam collocare, ab ipso omnia bona pete-  
re, ipsum supra omnia timere & amare,  
& quicquid, agimus, agere in timore Dei.  
Hoc mandato prohibet Deus quoque, ne  
alios præter ipsum deos habeamus."

## Quæstio.

„Quid est, habere alios Deos, & quisnam  
 „aduersus primum hoc præceptum peccat?

## Responſio.

„Alios Deos habere est, stulte tanti æstima-  
 „re rem creatam, quanti Deum ipsum: &  
 „illi contra primum hoc præceptum peccant,  
 „qui summo amore complectuntur rem crea-  
 „tam, summamque in ea, tanquam in Deo,  
 „spem ponunt: quales nominatim sunt:  
 „primo illi, qui multos deos coluerunt, de-  
 „menter rati: multos esse deos, eosque, tan-  
 „quam diuersos curatores, potestatem diuer-  
 „sarum rerum habere, alios cæli, alios terræ,  
 „alios aquæ; alios procurare cibum homi-  
 „num, alios potum; alios regere bellum,  
 „alios pacem; & alia huius generis insipienter.  
 „Deinde superstitioni. Tales reperiuntur  
 „etiam inter christianos, qui nocendi iu-  
 „uandique vim tribuunt nonnullis rebus,  
 „aut hominibus, qui eam virtutem non ha-  
 „bent: exempli gratia, iudicant, quo die  
 „rem incipere fortunatum, aut infelix sit:  
 „si huic, illiue occurrant, num id bonum  
 „sit, nec ne? Vaticinantur, exercent præ-  
 „stigias, aut fidem præstigiatoribus adiun-  
 „gunt: explicant somnia, & alia huius ge-  
 „neris agitant. Verbo, omnis superstitio  
 „primo præcepto aduersatur, & id omne  
 „hoc

hoc nomine comprehenditur, quod non ex verbo diuino, sed ex vanis fabulis & nugis anilibus creditur. Tertio peccant etiam contra hoc præceptum, qui suis, aut aliorum hominum, viribus, diuitiis, credata felicitate, confidunt. Quarto inprimis vero aduersantur huic præcepto, qui, licet non multos habeant deos, nec superstitioni sint, nec summam fiduciam in se, aut in quoquam alio, locent, tam impii tamen sunt, ut negent, extare Deum; quales athei sunt, qui non credunt, prouidentiam & iudicium Dei esse; sed cogitant, quidquid in hac vita boni, maliue accidat, sine Dei gubernatione, cæca fortuna fieri; nec aliam vitam post mortem, neque compensationem boni, nec damnationem impiorum & desperantium hominum superesse. Tales vocantur epicurei, nomine antiquæ hæreseos paganæ, quæ huic dementiæ ad dicta fuit.

Explicatio secundi præcepti.

Quæstio.

Quid facere vetat Deus secundo præcepto? "

Responsio.

Interdicit idololatriam."

B 4

Quæstio.

## Quæstio.

„Quid est idololatria?

## Responſio.

„Idololatria est, quando quis diuinum ho-  
 „norem exhibet imagini, aut simulacro,  
 „aut ulli rei, quæ in cælo, aut in terris,  
 „aut in aqua, aut sub terra est; hoc est,  
 „quando animi obsequium imagini præ-  
 „stat, illam timet, & spem suam in ea  
 „habet, quasi illa interna quadam vi præ-  
 „dita sit. Ita ethnici idola fecerunt, &  
 „coluere sculpta & picta simulacra varia-  
 „rum rerum; quæ christiani per ignomini-  
 „am idola appellant.

## Quæstio.

„Quid sentiendum, iudicandumque de chri-  
 „stianorum imaginibus est?

## Responſio.

„Non sunt idola; quia non faciunt eas ad  
 „diuinam venerationem, aut adorationem,  
 „(illis tribuendam,) sed in memoriam di-  
 „uinorum operum. Rectus & legitimus  
 „ipsorum honor non pro adoratione habен-  
 „dus est: nam is non est talis veneratio,  
 „quali gentiles idola sua prosequuti sunt:  
 „quemadmodum in septimo concilio œcu-  
 „menico sancitum fuit. Docet illud, non  
 „vero cultu venerandas esse sacras imagines:  
 „quod

quod fide, spiritu, & veritate, precando  
sperandoque fit; sed venerationem, & ado-  
rationem imaginum in hunc sensum inter-  
pretatur: absolui eam amabili complexu  
& osculo; & adfirmat, discrimen inter ve-  
nerationem, ac veram adorationem inter-  
cedere, quarum hæc spiritu, & veritate  
fiat, & uni tantum Deo conueniat. Ita-  
que scito: etiamsi te coram imagine incur-  
ues, te oportere obsequium animi ad De-  
um adferre, & cum fide spem in eo solo  
ponere. Imaginem vero honora amabili  
amplexu, & osculare eam, tanquam rem  
venerabilem, quia effigiem Christi, aut  
sancti alicuius viri habet."

## Quæstio.

Quis peccat in hoc præceptum?"

## Responsio.

Omnes illi, qui sacris imaginibus debitum  
Deo honorem præstant, quod in illo con-  
cilio prohibitum fuit, ut supra ostendi.  
Et tu facile iudicare ex allata decreti illius  
explicatione potes, quis male ordinatum, &  
prohibitum honorem imaginibus habeat.  
Faciunt hoc illi, exempli gratia, qui por-  
tant imaginem suam in ædem sacram, &  
ibi se coram ea prosternunt; qui in maio-  
ri honore habent imaginem, quæ auro or-  
nata est, quam nudam; qui ne inuocare  
quidem Deum, precarique volunt, ubi  
non

„non vident imaginem. Omnes illos, &  
 „his similes, manifestum est, non iusto amo-  
 „re complecti imaginem, quod concilii illi-  
 „us decreto facere docemur; sed fide &  
 „spiritu adhærere imagini, hoc est, fiduci-  
 „am collocare in imagine, quod concilio illo  
 „prohibetur. &c.

Hactenus de catechismo illo russo; quem,  
 dum hæc scribo, in germanicum sermonem  
 proxime translatum esse audio. Indicat ve-  
 ro hæc scriptio, in qua - - (*erroris*) de-  
 crementa miramur, non probamus reli-  
 quias: cuius indolis, quoue animo vir  
 iste sit; in cuius manus nuper quoque Arn-  
 dii nostri *de vero christianismo* liber, lati-  
 ne in Anglia editus, venit: quem gratum  
 sibi esse significauit. Transtulit hoc scri-  
 ptum arndianum germanus quidam czaræ  
 maiestatis interpres, in linguam russicam,  
 nobisque obtulit excudendum. Respondimus,  
 non recusaturos nos hanc operam, si qui essent,  
 qui, colatis symbolis, editionem iuuare velint.

Sed reuertor ad îcholam, a nostra-  
 ribus in Liuonia apertam, a qua pro-  
 pter vicinitatem delapsus ad Russos sum.  
 Postquam primi duo magistri tam bo-  
 num fecissent initium, & cum numero dis-  
 cipulorum labor indies augesceret, quatuor  
 adhuc collegæ ex cœtu præceptorum nostro-  
 rum petiti, eoque profecti sunt; qui iam con-  
 iunctis viribus formant adolescentum ingenia, &

& pectora cognitione & amore domini nostri,  
Iesu Christi, implent

CAP. VI.

*Conclusio huius narrationis.*

Sufficiat iam in præsentī attulisse argumentum propagati inter Germanos & in alias gentes boni: quo nouam puto materiam veteri lætitiæ vestræ accessuram. Qui fiat enim, ut vos, tam cupidi, ubicunque liceat, cognitionis Christi & pietatis igniculos accendendi, accensam passim, clarioresque radios spargentem lucem sine iucunditatis sensu possitis intueri? Næ talem se hucusque illustris præbuit societas vestra, ut hoc in bono alieno, si quidquam inter bonos alienum est, gaudium in eam optime videatur conuenire. Non approbavit illa solum, & suspexit pia aliorum conamina, sed hæc ipsa, qua potuit, ratione, adiuuit, atque prouexit; quod vel sola declarat Tranquebaria; cui subluces diluculum quam gratulata est, quam ardentibus votis, quam liberali impensa retardantes solis ortum difficultates tollere allaborauit, hodieque, ut supra ostendi, allaborat? Non opus hic mea laudatione est; passim nunc in Germania, ut in aliis regionibus ill. societatis celebrantur merita, nec sine fructu exemplum memoratur. Certe quantum hoc in multorum animos ualuerit, impuleritque illos ad succurrendum re-  
rioribus institutis, incredibile dictu est. Quare

re

reboni omnes prædicant tam propitiam ecclesie numinis providentiam, nostra ætate in vestris oris excitantis tot summorum virorum studium sanctissimum & laudabile rei christianæ iuandæ & amplificandæ institutum. Seruet Deus in illis hunc ardorem, & in posteros eum deriuet! Inhibeat, quicquid strenuam inceptorum persecutionem intercipere possit, Anglorum omnium animis ad tam præclari operis societatem adiunctis! Quidquid propensæ in hanc rem voluntatis beneficentiæque offenderit, id omne largiter pro suis diuitiis compenset! Inprimis vero ill. societatis membris grauissimis, in laboris præmium, quod maxime exoptare videntur, tribuat quam longissimum laborandi & sic bene de ecclesia Christi & alienis adhuc ab ea gentibus merendi spatium! Beet laborem illorum, concessio, quem sperant, effectu, multorum populorum, qui tenebris etiamnum iacent obruti, illustratione, cum cultu agniti domini sincero coniuncta! Te etiam, honoratissime fautor, sub intensiore ill. societatis negotiorum cura & contentione, iuuet, firmatis corporis & mentis viribus, auctoque indies agendæ in frugifera hac occupatione vitæ incitamento! Hæc optantem ex animo, paratumque omnibus modis inseruire ill. societati vestræ, cuius membra singula meo nomine perofficiose salutabis, tuo ne desine dignari favore; & vale in domino.



EE  
fo






Ad 263

S

1449  
323

19  
25





10

EPISTOLA  
AD  
ALL. SOCIETATEM  
ANGLICANAM PROPAGANDÆ  
COGNITIONI CHRISTI  
DEDITAM

QUA  
CONTINENTUR  
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ  
RECENTISSIMÆ PARTICULÆ SPE-  
CTANTES POTISSIMUM AD EC-  
CLESIAM ORIENTALEM

BEATI CUIUSDAM VIRI HORTATU ET  
NOMINE SCRIPSIT

IO. HENR. CALLENBERG  
PHIL. PROF. PUBL.

Halæ in typographia instituti iudaici  
C13 13CC XXXV.

